

X

K

EPITHALAMIVM DE NVPTIIS

MAGNIFICI ET NOBILISSIMI D.

Georgij Loxani Regiae Maiestatis
consiliarij &c. Vuolph=

gango Anemæcio

Authore.

ADIVNCTA SVNT ETIAM VIRORVM

Doctissimorum Carmina super eadem re,
nempe. C. Vrsini Velij, &

Georgij Logi.



MAGNIFICO ET NOBILISSIMO

VIRO GEORGIO LOXANO, REGIAE

Maieſtatis à consilijs & Epiftolis, Regni

q; Bohemie uicecancellario &c.

Mecœnati ſuo exoptatiſi=

mo, Vuolphgangus

Anemœcius.

S . D .

INEPTA VOX MIHI ESSE VIDETVR, VIR
omnium nobilissime, qua Admetus apud Euripidem
utitur, quum ait:

Zελῶ δὲ ἀγέλους, ἀτέκνουστε βροτῷ.
Quasi nemo sit beatus, niſi qui cælibem agat uitā. Neq; ulli alij ſint curæ, ſolitudines, atq; moleſtiae, niſi illi q; liberos gignat. Quum tamen noſtra uita, ut ingenue fa-
tear, nil aliud poſcat, id quod etiam cum natura cōmu-
ne habet, quam alios atq; alios: quemadmodum Aristo-
teles teſtatur, ex nobis gignere, ne nobis cum & genus
& nomen percat. Quod tum demum facile fieret, ſi om-
nes cū Admeto conſentirent, atq; naturæ inuidere, quā
humano generi proſpicere mallent. Quamobrem, uir
oīm nobilium prætantissime, tuū conſilium uehemeter
probo, qui cum omnibus & animi & fortunæ dotibus
maxime ſis

A 2

maxime sis præditus, ea quoq; adiungere uolucris, que
tantam fortunam plurimū deceant. Quod profecto ex
hoc uno colligere licet, qum tibi honestissimam sociam
tuaq; fortuna dignissimā summa prudentia & consilio
delegeris, cum qua et domi & foris sancte atq; integre
uiuere potes. Maioritatem in hac re dignus es laude,
quod tuum tam pium & honestum institutum à doctis
etiam celebrari uolueris. Accipe itaq; Nec oenas unice
hoc Epithalamiū, indignius quidem quam ut tue mag-
nificentiae offeratur. Sed ne quid in meis laboribus de-
siderares, adiunxi etiam carmina de eadem re, doctissi-
mi poëtae Vrsini, nostri olim præceptoris. Tum
etiam Georgij Logi, uiri sane facundiissimi:

Vt tandem uideas, doctos tibi nunq;
deesse. Vale Dulce nostrum
præsidium, una cum ca-
stissima tua uxore.

Augustæ XVI.

Kalen: Apri-
lis. Anno

M. D. XXXIII.

Epithalamium

EPITHALAMIVM NOBILISSIMI VI
RI GEORGII LOXANI SILESII,
Et Katharine Adlerin Augustane,
Guolphango Anemoecio
Authore.

IAm iam ueſper adeſt, iam ſurgunt ignea cœlo
Sydera, iam redeunt lumina ſicca poli.
Iamq; ipſe Oceano eſt Phœbus ſubmersus in alto,
Iam ſolis radios æmula Luna premit.
Iam lætas læti iuuenes accendite tædas,
Præpinguesq; faces, flammea ſigna Deæ.
En gracili gressu properat pede Pronuba Iuno,
Nympharum ſequitur, Naiadumq; chorus.
Nec non & comites legit, ſociasq; laboris,
Castam Dianam, teq; Minerua potens.
Sed prior alloquitur Iuno regina Mineruam,
Ut cæptæ fallat tædia tarda uiæ.
O Summi Diuūm, atq; hominum gratissima regis
Filia, quæ multum dexteritate uales.
Dic mihi (quæſo) tui, dic facta ingentia ſponsi,
Nimirum ipſa ſoles uſq; uocare tuum.
Dic genus à prima quod uenit origine gentis,
Nobile dic nomen patris auiq; ſimul.
Dic quoq;

Dic quoq; uirtutem, pulchros dic corporis artus,

Dic animi dotes, ingeni q̄ pares.

Olli subridens contra sic uoce loquuta est,

Magnum opus attentas me renouare Dea.

Sed qum sola Deūm fueris regina, fororq;

Perpetuoq; uxor fœdere iuncta Louis.

Quis sane oranti posset tam iusta negare,

Siue tuam prudens spernere amicitiam?

Accipe, quæ paucis dabimus, perdigna relatu,

Ac rerum sumnam sit tetigisse satis.

Est locus antiquus, Germanæq; angulus ore,

Almanni fortes excoluere uiri.

Terra potens aruo, pingui uicina Bohemo,

Nunc commune quidem Slesia nomen habet.

Pars etiamnum Romani non infima regni,

Quam FERDINANDI fortia sceptr'a premunt.

Hinc genus & patriam deduxit origine prima,

Nouit & hinc Atauos enumerare suos.

Præterea arx munita sedet iam uertice montis,

Quam LOXANVS habet, consilioq; regit.

Turribus horribilis, diro tutissima bello,

Nec uaria Martis peruia fraude patet.

CAROLVS hanc olim Quartus construxit, & arci,

Atq; unà monti nomina læta dedit.

Caroleumq;

Caroleumq; suo dixit de nomine montem,

Iussit & insignem posteritate coli.

Cuius Magnamimis iā FERDINANDVS habēdū,
LOXANO imperium tradidit omne suo.

Montibus ex imis, sustentamenta bonorum,

Effodiuntur opes, largaq; dona soli.

Planities bobus gratissima pabula fundit,

Sustinet & pingueis pascere uallis oues.

Hoc genus, hæc patria est, hæc sunt cognomia gentis,

Nomine quam dignor crebra uocare meam.

Quin etiam sponsus toti nunc consulit orbi,

Dirigit auspicijs prospera regna suis.

Et tamen ingenij dotes, cum corporis æquat

Viribus, & formæ sunt sua dona satis.

Hinc AQVILAE magnam iactant insignia partem,

LOXANAE referens arma uetusta Domus.

Coniugij fœlix totam nunc copula firmat,

Nam mediæ medianam iungere iussit auem.

Hæc ubi dicta dedit, magno clamore tubarum,

Exhorret sponsæ protinus ampla Domus.

Hinc cæptæ audiri uoces, & magna resultat

Fistula, quæ uocum signa canora dabat.

In medio se infert Iuno, stipata corona

Diuarum, ante alias erigit ipsa caput.

Qualis

A 4

Qualis ubi syluis ornus sublata per auras,
Frondibus emineat rectior usq; suis.
Postq; tecta uidet, Thalami iam conscientia tanti,
Læta subit, cunctos exuperatq; gradus.
En subito summis sunt facta silentia rebus,
Atq; omnes taciti conticuere simul.
Non secus, ac uenti magno si murmure pontum
Eruerint, fundo sœuit arena maris.
Fulgura de coelo quatunt cum fulmine saxa,
Densis occulitur nubibus alma Dies.
At subito Deus Oceani caput erigit altum,
Ventorumq; graueis suppressit ille minas.
Sic tacuere omnes. Sed iam Saturnia Iuno,
In media turba, talia uoce refert.
Me pater omnipotens, quod nunc Cyllenius heros
Debuerat, uoluit debita iussa sequi.
Nec tamen inuita hæc refero mandata per auras,
Tædia nec piguit longa uorare uiæ.
Postq; magna Aquilæ (fateor) me iniuria lesit,
Conscia sic prædæ dum Ganymedis erat.
Hæc fuit ex illo nobis inuisa uclucris,
Quæ magnum iuuit commaculare torum.
Deposui tamen ex animo, hunc oblita dolorem,
Illiūs haud libuit post meminisse doli.

Qum uideam

Qum uideam cunctis formæ præstare colore,
 Virginibus, quas hæc Vindelis ora tulit.

Préterea morum probitas, uitæq; pudica
 Integritas, animum cum ratione mouent.

Nam purum pura deductum nomen ab ipsa
 Mente tenes, sponso purius omen eris.

Et quæ fœlici, LOXANO es uincta marito,
 Fœdere, iam sensus flectis amore meos.

Huic igitur Zonam soluas, soliq; pudorem
 Serues, alterius nescia deinde uiri.

Coniugijq; fides cunctos perduret in amos,
 Hærebat æterno copula fune iugi.

Accipe uirgo soporiferum cum lacte papauer,
 Molliat ut somnus tædia cuncta tori.

Accipe uirgo tuis rorantia mella labellis,
 Coniugis ut placeat forma futura tui.

At coniux disperge nuces, & ludicra pone,
 Adparat æternum Diua cubile Venus.

Sic ait, & tacito Cytherææ lumine matri
 Annuit, in castum ducat utrumq; torum.

Adfuit hæc etenim primis sponsalibus usq;,
 Ac animos firmo iunxit amore pares.

Purpureo Genialis adest hic tegmine lectus,
 Auræa cum gemmis stragula fulta nitent.

Huc sua

A 5

Huc sua depositus primus iam membra maritus,

Vt sponsæ excipiat gaudia prima suæ.

Virgo uenit lachrymans, casti haud oblita pudoris,

Quam relevat uerbis officiosa Dea.

Lætis auspicijs sponso hunc commendat amorem,

Copulat amborum brachia bina Venus.

Vltima sic festæ claudit momenta diæi,

Subne cit tandem, & uerba suprema refert.

Digna quidè hunc soboles thalamū prolesq; sequetur,

Nascentur nati, pignora cara tori.

Hæc ait, in tenuem ex oculis cuanuit auram,

Ac cœli rursus limina tutæ petit.

Ast illi longo fallunt sermone soporem,

Quod superest somno, tempus inane leuant.

Hæc tibi commendat, supplexq; Anemœcius orat,

Præsidio ut soureas, sustineasq; tuo.

FINIS EPITHALAMII.

CARMEN GRATULATORIVM DE NV=
ptijs D. Loxani Anemœcio
Authore.

Gratulor, optato fruitur Loxanus amore,

Gratulor, unanimi corpora iuncta fide.

Fatidicus gaudet Diuino numine Phœbus,

Pierides gaudent, pignora grata Iouis.

Insigniq; hedera gaudet ueneranda caterua,

Virginei gaudent uincula trina iugi.

Prisca fides Thalami redijt, cunctæq; recedant,

Fœminci fraudes insidiæq; mali.

AD EFFIGIEM NOBILISSIMI D. GEORGII
Loxani Silesij, &c. Anemæcio
Authore.

*Ecce tibi, quem miraris, pulcherrimus heros,
Cui Loxana domus nomina clara dedit.
Magna uiri uirtus, forti clarissima facto,
Ingenio, atq; fide, consilioq; potens.*

AD EFFIGIEM OMNIVM HONESTISSIME
mæ atq; pulcherrimæ matronæ Katharine
Aquilæ D. Georgij Loxani &c.
Vxoris. Anemæcio
Authore.

*Aspice, quam grato commendat forma pudore,
LOXANE hæc firmo stabit amore tibi.
Si datur huic, cum formosis pugnare deabus,
Præmia Dardanio hæc iudice prima feret.*

Caspar

CASPAR VRSINVS VELIVS POETA ET
Orator laureatus de nuptijs Magnifici &
Nobilis D. Georgij Loxani
& Aquilæ ex
tempore.

Raptum quæ Phrygia puerum tulit ales ab Ida,
In Iouis ambrosio depositq; sinu.
Hæc eadem, qua non formosior altera, nympham
Duxit in amplexus Pronuba fausta tuos.
Et tibi connubij tam sancto foedere iunxit,
Præstantem ingenio, pectore, amore, fide.
Fœlix o nimium, cuius Loxane ministros,
Commodat obsequio Iuppiter ipse suos.

DE HISDEM NVPTIIS CARMEN EXTEMPO
rale Georgij Logi Silesij Poëtæ &
Oratoris facundiissimi.

E summo formosam Aquilam aspiciebat Olympo
Iuppiter, & pulchræ captus amore Deæ est.
Ille animo rapti uoluens Ganymedis amores,
Hæc quoq; ait, magno est digna rapina Ioue.
Ergo

Ergo Aquilam iubet ire suam, uerum illa negauit,
Quærenti caussam hanc recididit atq; Deo.
Loxano despensa mco est mea Nympha uolenti,
Ipsa uolens, non hæc soluere uincla decet.
Nec dum etiam antiquum Iuno est oblita dolorem,
Indignum hoc facinus, illa q; saeuia Dea est.

FINIS.



